



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 15. Papias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

duratio enim Regiminis singulorum est ^{Sæculum II.}
 incerta. Jerosolymæ Justus Episcopus ^{A.C. III.}
 obiit anno centesimo undecimo, cui suc-
 cessit Zachæus, deinde Tobias, Benja-
 min, Joannes, Mathias, & alter Benja-
 min alio nomine Philippus dictus. Hi
 sex Episcopi non ultra tredecim annos
 sederunt propter continuas persecutio-
 nes, & quantum quisque eorum sederit,
 sicut etiam de Romanis ignoratur. Ad
 eadem Trajani tempora referunt S. One-
 simi Episcopi Ephesini, & Discipuli S. Pau-
 li mortem; eum in vinculis Romam ab-
 ductum, & lapidatum fuisse ajunt, & ibi-
 dem primum quidem sepultum, at dein-
 de ejus Reliquias Ephesum translatas.

Euf. Chron.
An. 112.
Id. 4. hist. c. 5.
An. 111.

Ado festiv.
Ap.
Martyr. 16.
Febr.

§. XV.

Papias.

Idem circiter tempus Papiæ Episcopi
 Hierapolitani in Phrygia fama percre-
 buit, viri in omni Disciplina doctissimi,
 & in Scripturis versatissimi. Discipulus
 erat Joannis Presbyteri Ephesini, & S. Po-
 lycarpo amicitia junctus; ipsos Aposto-
 los non viderat, sed eorum Discipulos,
 & nonnullos ex Discipulis Domini, eo-
 rumque traditiones sollicite retinuerat.
Non mihi placebant, ait de seipso, illi, qui
multa loquuntur, sed qui veritatem do-
cent, nec illi, qui peregrina præcepta, sed
præcepta nobis a Domino data referebant,
Hist. Eccles. Tom. I.

Euf. III.
hist. c. ult.

E e

E

Sæculum II.
A. C. III.

Et quæ ab ipsa veritate procedunt. Si quis eorum ad me venisset, qui audiverit antiquos, interrogabam de sermonibus eorum: Quid dicebat Andreas, aut Petrus, aut Philippus, aut Thomas, aut Jacobus, aut Joannes, aut Matthæus, aut quis alius ex Domini Discipulis? vel quid dixerit Aristion, vel Presbyter Joannes antiquus Domini Discipulus. Nam ea, quæ in libris inveniebam, non ita mihi proficere videbantur, quam quæ viva voce discebam. Hæc sunt verba Papiæ, ubi attendendum, alium esse Presbyterum Joannem, de quo loquitur, & alium Apostolum.

Papias quinque libros de expositione sermonum Domini scripserat, quibusdam immixtis parabolis peregrinis, & fabulis; inter alia docebat, post resurrectionem mortuorum Jesum Christum corporaliter in terra mille annis regnaturum; quod nempe quasdam traditiones male intellectas in sensu litterali accepisset, quæ in sensu figurato dictæ erant. Nam vis judicandi huic viro erat exigua, prout ejus scripta testantur, nihilominus ejus antiquitas, & singularis in traditiones amor ei tantam auctoritatem conciliarunt, ut maximi nominis viri in errore millenariorum eum fuerint secuti, nec eum idcirco Ecclesia Sanctis accensere ommiserit.

*Martyr. 12.
Febr. Hier.
ep. 28. ad
Lucin.*

§. XVI.